Honoris & Amoris

STATUA;

M. Leonharto Baudisio,

Ill. Ligior. Reip.

Senatori

&

Templi Mariani

Curatori,

d 8. M. Novembr. Anno 1637.

piè defuncto

erecta

ab ejusdem Ecclesiæ

Ministris.

Vratislaviæ, Typis Baumannianis.

SIcciné me miſerum rerum ſub turbine linquis,
Baudisi, ô animæ pars quotacunque meæ!
Heu dolor! in lachrymas jubet ire oculosque genasque,
Fingere & ad tumulum lugubre carmen, Amor.
Sed non ſufficiunt lachrymæ delere dolorem:
Sufficiat lachrymis addere tale melos:
BAUDISIUS *gelidâ cubat hîc* LEONHARTUS *in urna,*
Mathuſalæ dignus vivere ſecla ſenis.
In vita hunc PIETAS, DOCTRINA, MODESTIA, CANDOR
Extùs veſtierant interiusque Virum.
In morte hinc PIETAS, DOCTRINA, MODESTIA, CANDOR,
Cultorem deflent extùs & interiùs.

CASPAR KESLERUS.

LEONHART BAUDISIUS;
per Anagrammatismum:
IS LAUDATUS IN ORBE.

QUicquid habet Latium, quicquid Sapientia Grajum,
Atque Poeſis habet, BAUDISIUS tenuit.
Integer, innocuus, vitio ſecurus ab omni,
Omnibus humanus, fidus & æquus erat.
Vix habet iſta parem tantis virtutibus ætas
BAUDISIO noſtro, vix habet iſta parem.
Inter Laudatos fuit hinc LAUDATUS IN ORBE
Iſte Pater PATRIÆ, cura Salusque ſuæ.
Hunc meritò luget: Cœlo excipit: & veneratur
Laudibꝰ æternis: PATRIA, CHRISTUS, HONOR.

THEOPHILUS FEIGIUS.

BAUDISIUS *postquam superam penetravit ad urbem,*
Nomine qui robur forte leonis habet;
Magnanimi gemuêre Patres, gemuêre Quirites,
Altaque fletiferos templa dedêre sonos.
Discipuli flevêre rudes, juvenumque Magistri;
Dixit & orbatus talia verba torus:
Istane sunt pacti socialia fœdera lecti?
Tune fugis placidi dulcia vincla jugi?
Desine; Quid Lachrymis, inquit: mea gaudia turbas?
Ætheris an nescis me subiisse domos?
Vestra per æquoreas agitantur Fata procellas;
Nostra sed ad portum vela carina legit.
Ut potior vobis scopulis & turbine portus;
Sic mihi sollicito tecta paterna solo.

SEBASTIANUS ALISCHERUS.